



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

In Fvnerere Sidronii Hosschii ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

IN FVNERE
SIDRONII HOSSCHII
E SOCIETATE IESV.

O *Noctis aeternae atque Erebi pudor,
Crimen Deorum, lurida carnifex
Mundi ruentis, quam tot atra
Sacla inuat vacuare penso!
Quae saeva Erinnyes, quodve odium vetus,
Famesve magnorum improba funerum
Te concitavit in verendum
SIDRONII caput immerentis?
Fatum serena molliter aureum
Nebant sorores. Dum propior Deo
Poeta nil mortale cantans
Tanarias tremefecit umbras,
Arrexit aures Orcus, inertior
Styx haesit, ingens continuit canis
Rictus trifauces; & Megæra
Viperei siluere crines.
Tu sola funestam rabiem intimis
Coquens medullis, diceris inclytum
Plutone deprecante statera
Sacrilegâ secuisse dextrâ.*

*Scelus peractum est. Magni Elegi tacent,
 Nec par Tibullo gratia, ceu prius,
 Cantando iam Scaldim moratur
 Præcipitem, lacrymisq; Mosam
 Latè tumentem. Quin sacra lugubri
 Clamore Parnassi antra remugiunt,
 Præcordijsq; excussa mæstis
 Per virides gemit aura lucos.
 At victor orbis sidereos premit,
 Auraq; Diuum vescitur HOSSCHIVS,
 Et iura Minois seuera
 Despicit, inuidiamq; Parca.
 Quid victa frendes? rumpere liuida
 Mortis satelles, rode manus reas,
 Caputq; nequicquam scelestum
 Tartareo Phlegethonte cela.
 Præcisa vatum vita repullulat
 Ringente Auerno. Non timet Atropon
 Mens plena Phæbi, sed superba
 Fata sinistra domat triumpho.*